
... phi: Quaestio de efficientia causarum secundarum.



D. O. M. A.

QVÆSTIO
DE
EFFICIENTIA
CAVSARVM SECVN-
DARVM.

A

M. CHRISTOPHORO WILKOWSKI,
Philoſ: Doct: in Alma Acad: Crac: publicè
ad diſputandum.

In Auguſto Iagellonianæ Domus DD. The-
ologorum Lectorio propoſita.

*Anno Dñi, M.DC.XXXIX. Menſis
Ianuarij Die IIII. Hora XIIII.*

CRACOVIÆ,
In Officina Typograph: Martini Philipowſki,
Anno Domini, 1639.



In Armá Gentilitia.



Filius an Iouis Magni es cui nomen Apollo?
Cùm ſuperi Cygnum Stemma dedêre Tibi.



Perillustri & Reuerendissimo Domino,

D. NICOLAO DE SKRZYNNO DVNIN

D. P. ABBATI OBRENSI, S. R. M. SECRETARIO, D. AVVNCVLO & PATRONO COLENDISSIMO.



Vm proximis hisce diebus, de efficientia causarum secundarum, abstrusam sanè & reconditam Quæstionem, pro more & laudabili consuetudine, Almæ Academiæ Crac: in lucem publicam emisissem, ad disputandumq; proposuissem, opportunè admodum mihi cupienti occasio oblata est, id genus lucubrationis Philosophicæ Tibi Perill: & R̃ndissime Dñe potissimùm dedicandi. Tu primus venisti in menē, & iucundam recordationē Auuncule & Benefactor Rñdissime qui secundú parentes, meι ingenij fortunarumq; excitator, inter fauētissimos liberalissimus, inter liberalissimos optimus, ĩter optimos merito semper primus honorandus es. Tu me vt primùm Laureis Academicis ornatum aspexisti eam vitæ rationem quæ genio meo conformis esset approbâsti, in Coloniam Posnaniens: Academicam beneficijs euocâsti, Professorem per quadrienninm, illustri gratia, fauore, beneuo-

lentiâ clarissimorum hominum florentem, per quam benigne toties & humaniter tractâsti. Nullum profectò tam benignum, tam liberale, tam munificum reperitur beneficium, quod quidem in maiori Polonia ab optimis patriæ ciuibus, receperim, quod inuicem Tua singularis Parill: & Rndissime Dne approb atione bene collocati temporis in negotio literario nõ fuerit confirmatum. Quapropter singuli illius Coloniæ Professores singulos laudibus eximijs celebrent suos Mœcenates. Ego verò illorum omnium depredicabo semper meritâ virtutesq́ quorum fauorem labore, industriaq́ mihi cõparaui. Nam ingratissimus essem omnium mortalium, si importuno complecterer silentio aut Magnanimorum Opalinsciorum longissimis ab atauis deductam & in posteritate confirmatam, mihiq́ maximè perspectam Magnificentiam aut gratissimam Przyiemsciorum comitatem & gratiam in Illustr: & Magnifico Dno Marschalco Curiæ Regni, Ganerali Maioris Poloniæ toties à me cognitam & deductam: aut amplissimæ Comitum in Rozdrazow Domus heroicam liberalitatem, aut Generosissimæ Familiæ Grzimultouiorum munificentiam atq́ bonitatem, eximijs in me beneficijs approbatam, & in optimæ indolis Nepote, meæ fidei curæq́ commisso pro pignore amicitiæ relictam, cæterorumq́ patriæ ciuium illius Academiæ fauentissimorum, fidem, candorem, probitatem, quorum Tu decora & ornamenta mihi proposuisti, sæpius literarum monumentis prædicandâ. Cùm itaq́ Tu mearum rerum Fautor tantus & benefactor sis Perllustr: & Rndissime Dne Tibi iure æquissimo primam hanc in Palæstra Academica susceptam velitationem meam offero, dedicoq́ quam Tu pro Tua singulari comitate atq́ in me amore, animo fauentissimo accipe. Meq́ vt cæpisti, patrocinio Tuo ac fauore complectere. Dat Crac: 1. Ianuarij. Anno Dni, 1639.

Perill: & Rndissimæ Dnationis vestræ obsequentissimus Nepos
M. Christophorus Wilkowski,
Philosophiæ Doctor.

Quæstio



QVÆSTIO DE EFFICIENTIA CAVSARVM SECVNDARVM.

V. *Causæ efficientes secundæ, in actu primo ab authore naturæ constitutæ, non aliter in actum secundum, qui in actione formaliter consistat, exeant quàm à causa Prima præmotæ. Nec ne?*

CONCLVSIO I.

CAusæ secundæ efficientes, præter Primam, concurrunt ad formas, de pura potentia materiæ primæ educendas.

COROLLARIA.

I. *Diuisionis Causæ in materialem, Formalem, Efficientem, & finalem, dantur subdiuisiones, vt diuisio Causæ efficientis in Primam & secundem, ad nostrum negotium requisita.*

II. *Effectus à causis producendi, nihil præexistit actu in Materia.*

III *Etiam Formæ Accidentales, de potentia Subiecti, imo & formæ cælorum de potentia materiæ educuntur, & vniuntur seipsis, nulla interposita vnione, quæ sit aut modus aut aliud quid piam.*

IV. *Omnia quatuor causarum genera, necessario ad rei naturalis productionem concurrunt.*

CONCLVSIO II.

Causalitas Causæ Secundæ, constituens ipsam in actu causam, respectu effectuum, est actio, sed respectu actionis ipsius, causalitas efficientis causæ nihil est aliud quàm efficiens vt sic.

COROLLARIA.

I. *Fnlſum dicunt quidam, aſſerentes Cauſæ Secundæ Cauſalitatem exprimendam eſſe hac voce, agere, potius quàm actionis.*

II. *Hæc Cauſalitas Cauſæ ſecundæ non eget aliquo intermedio, inter agens & illam, ſed per illam ſolam attingit effectum, eumq; producit.*

III. *Vnde actio hæc, ſi ſpectetur vt efficiens, eius interuentu attingit effectum, habet ſe ex parte cauſæ*

IV. *Actio dicta diſtinguitur realiter à cauſa efficiente vt ſic.*

V. *Cauſalitas cauſæ ſecundæ efficientis, non erit modus ipſius, ſed eſt formalis ratio eius, conſtituens in actu cauſam efficientem.*

CONCLVSIO III.

Cauſæ Secundæ efficiunt propria virtute, ea omnia quæ virtutem ipſarum non excedunt.

COROLLARIA.

I. *Falſa eſt opinio, aſſerens Cauſam Primam omnia efficere, nihilq; tam materiales, quam immateriales Cauſas ſecundas facere, ſed ad poſitionem illarum, cauſam Primam agere.*

II. *In Cauſis ſecundis, forma Subſtantialis eſt agens principale, Accidentalis verò tanquam cauſa inſtrumentalis, ac ideo Accidentia producunt Subſtantiam, non in virtute propria, ſed in virtute Subſtantiæ.*

III. *Cauſis ſecundis, conuenienter natura, tantam varietatem organorum, ac potentiarum indidit.*

IV. *Qui tollit efficientiam cauſàrum ſecundarum tollit cognitionem rerum naturalium.*

CONCLVSIO. IV.

Cauſæ ſecundæ, & ſi habeant ſufficientem virtutem ad agendum à prima creatione, non tamen quidpiam agunt, niſi motæ à Prima, à qua pendent non tantùm quo ad eſſe ſed etiam quo ad operari.

CO-

COROLLARIA.

I. *Prima Causa, immediatè concurrit cum Causis secundis ad producendum effectum, tam immediatione virtutis, quàm immediatione suppositi.*

II. *Causa Prima, licet mediantibus causis secundis faciat aliqua in his inferioribus, potest tamen seipsa facere.*

III. *Actio Causæ Primæ, cum actione causæ secundæ, dum producunt effectum, est eadem, & indiuisibilis sed alio & alio modo.*

IV. *Virtus Causæ Primæ, est magis intima per inexistentiam subsistentem effectui, quám quæuis virtus causæ secundæ.*

V. *Vnde sequitur Causas secundas determinari á Prima, vt effectum singularem producant.*

CONCLVSIO V.

Dependentia Causæ secundæ à Causa Prima, est essentialis & vltima, quæ consistit non solùm in eo, quòd causa secunda esse habeat, & virtu

virtutem operandi à prima, & quod actio causæ secundæ dependeat á Prima, vt à sua nobiliori sed etiam in eo, quód Causa secunda ad agendum præmoueatur à Prima.

COROLLARIA.

Causæ secundæ, ita se habent ad esse causæ, vt plus requirant ad esse causæ, quam ad rationem Entis vnde ad hoc vt sit aliquid Ens, sufficit vt absoluté in se ipso consistat vt autem sit causa, requiritur vt actu agat.

II. *Nulla Substantia finita, potest esse immediatum principium alicuius operationis.*

III. *Sicut res creata habet per suam essentiam rationem Entis in potentia, per existentiam veró, habet rationem Entis in actu, ita causa per esse præcisè sumptum, quod habet ab in dita sibi virtute, in prima sui creatione, habet rationem causæ in potentia tantùm, per motionem autem Physicam, à Causa Prima habet rationem causæ in actu.*

Licet

IV. *Licet causæ secundæ, ex collato & conseruato esse, habeant perfectam virtutem ad agendum, inhabent tamen eam in suo genere, & sic sunt per se integræ & perfectæ. Per quam virtutem, causa secunda, non dicitur in ratione causæ constitui in actu, sed vt constituatur causa secunda in actu, indiget illa perfectione simpliciter participata á prima causa, nempé præmotione, Physica.*

V. *Ex quo sequitur, quód licet causa habeat omnia requisita ex parte sui ad agendum, non dicitur tamen actu causa sed potentiâ.*

CONCLVSIO VI.

Causa secunda, in Actum secundum non aliter exit, quàm â Causa Prima, præmota.

COROLLARIA.

I. *Præmotio Causæ Primæ, importat complementum vltimum actus secundi.*

II. *Causa Prima, licet mouet causas secundas,*

moti-

motione præuia Physica ad operandum applicante, causa tamen secunda, agit actione propria, virtutem causæ Primæ includente.

III. *Causa Prima, non modo causas secundas necessario agentes, sed etiam liberas, præmouet ad agendum.*

Sub felicibus auspicijs Adm. R^di. & Mag. Dni. Alberti Borouii Sacræ Theo. Doctoris & Profes. Custodis S. Floriani Canon. Scalbimirien. & SS. Omnium, Almæ Vniuersitatis Cracouien, Vigilantis. Rectoris.



